coloni ad eum pertinentes, fidei ejus tradantur. §. 1. Modum inſuper ſportularum [1] ad mediocrem deduci quantitatem; & executoribus de ſchola Agentium in rebus attribuendis [2], unum ſolidum ſingulos usque ad finem negotii; proque ingreſſu in judicio tuæ Magnitudinis quolibet modo faciendo, duos ſolidos, & pro editione geſtorum exceptoribus dimidiam ſolidi partem: & ſi apud arbitrum negotium ventilari contigerit, ipſi quidem arbitro unum ſolidum, & nihil amplius: exceptoribus autem eum obſervantibus, tam pro ipſo, quod implere videntur, miniſterio, quam pro editione geſtorum, ſeu relationis, vel definitionis, tertiam partem ſolidi præbere ſancimus: nec pro tempore Virum Spectabilem fiſci Patronum, vel Executores [3], quibus imminendi [4] litibus ſolicitudo injuncta eſt, quicquam ab eis exigere [5], ſeu profligare [6] concedi: dimidia ſcilicet expenſarum, quas in judicio tui Culminis a memoratis perſonis præberi ſtatuimus, portione in Judiciis Provincialibus ab his agnoſcenda: ita ut ſi de civilibus annonis, vel tutela, ſeu curatione, vel novi operis nunciatione litem eos ſubire contingat: in majore quidem judicio ad ſimilitudinem ſumptuum, quos in [7] judicio Eminentiæ tuæ dependere præcepti ſunt, apud Virum [8] Clariſſimum Præfectum annonæ, ſeu fiſci Patronum Urbicariæ Magnificæ Præfecturæ, vel Architectos [9] pro modo eorum, quæ ſuper arbitris, & litibus apud eos exercendis ſuperius ſtatuta ſunt, ſolventes expenſas, nihil amplius agnoſcere ſeu dependere cogantur.

§. 2. Quæ omnia cuſtodiri jubemus, ſive per ſe, ſive per Procuratores, aut etiam Defenſores lites exercere maluerint: Hoc, ſi prolata ſcriptis ſententia moniti ſunt. §. 3. Si vero ex depoſitione, ſeu aliter quis eorum conventus fuerit, nihil eum, vel ſcrinio Viri clariſſimi Adjutoris, vel cuilibet alii nomine ſportularum offerre compelli: omnibus antelatis privilegiis, quibus poſtea per anteriores divorum Principum ſanctiones defenduntur, in perſona [10] tam eorum, qui adhuc militant, & qui poſtea eandem militiam ſortiti ſunt, quam eorum, qui prædictam militiam gradu vacante [11] jam depoſuerunt, vel poſtea depoſuerint, ſervandis: ut eorum commodo ipſi quoque una cum uxoribus, & liberis, colonis præterea, & ſervis propriis, perfruantur.

§. 4. Et quoniam in controverſiis [12], quas in judiciis moveri contigerit, æqualitatem litigatoribus volumus ſervari, & adverſariis eorum: pro ſumptibus, & expenſis ſimilem antelatorum beneficiorum prærogativam cuſtodiri. Propter hanc etenim cauſam, & viros devotos Memoriales, non tantum agendo in quolibet judicio, ſed etiam actiones ab aliis ingerendas excipiendo, privilegiis a nobis indultis potiri decernimus: his videlicet, qui militiam Virorum devotiſſimorum Memorialium gradu ſolito depoſuerunt, [ſeu [13] depoſuerint,] etſi quietis amore per Provincias domicilium fovere maluerint, omnibus nihilominus privilegiis, quæ hujusmodi perſonis per ſacratiſſimam legem nuper promulgatam a noſtra liberalitate præſtita ſunt, muniendis, & eorum commodis, atque auxilio potituris.

De numero adjutorum.

13. Imp. JUSTINIANUS A. Proculo Quæſt. [14] ſacri palatii.

COmperimus divinitus quidem pridem fuiſſe diſpoſitum, Viros Devotos Adjutores [15] tuæ Magnitudinis, certos [16] eſſe in numero, nec ad hujusmodi nomen, vel operam plures licitum eſſe adſpirare, quam in ſcrinio quidem ſacræ memoriæ duodecim tantum: ſeptenos vero in duobus [17] reliquis ſcriniis, id eſt, ſacrarum epiſtolarum, ſacrorumque libellorum: ſed poſterioris licentiam temporis ſupra modum indulgendo ambitionibus, diſturbaſſe rei merita, ac multitudine divulgaſſe: ut inter Memorialium, & Adjutorum numerum non longum pene intersit. §. 1. Sancimus itaque reduci eis, ac renovari ſtatutum ordinis terminum, non ut eximantur Adjutoribus [18] hi, qui præter prædictam [19] diſpoſitionem in præſenti exuberant: ſed ut interea omnibus aliis interdicatur ab adfectando hoc nomen, donec exeuntibus ſingulis, ac recedentibus decreſcere poſſit vetita conglomeratio, legitimusque jam reſideat numerus: non prohibendis Viris Devotis Adjutoribus deſiſtentibus [ab] eodem officio, cum vel ad laterculenſis [20] gradum in ſcrinio ſacræ memoriæ provecti fuerint, vel ſecundum locum obtinuerint, in duobus aliis ſcriniis, poſtquam proximi creabuntur, licet nondum redacta ſit quantitas priſtina, tamen alios pro ſe, quos elegerint, ſubrogandos Adjutores petere, qui poſteriores erunt cæteris. §. 2. Illud etiam diſponendum duximus, utpote nonnullis anterioribus exemplis ſubnixum, nec non juſtitiæ congruum, ut ab his, quibus conceſſum eſt Adjutorum agmini pro ſe ſociare: libellus [21] offeratur Viro Illuſtri pro tempore Quæſtori, petendaque ejus ſubſcriptio, tempus, atque hominem, necnon etiam rem ipſam continens: id eſt, quod inter adjutores ei, quem pro ſe ſurrogat, mereri permiſſum eſt: ordinandis videlicet iisdem Adjutoribus pro ratione temporum, quibus libelli porrecti ſunt, ut etiamſi [22] [in] Memorialium [23] matricula [24] inferiore loco [25] ſit, qui prior in Adjutoribus meruit, Adjutor quidem habeatur ſuperior: memorialis vero poſterior pro utriusque ordinis modo, vel diſcrimine: quod etiam in aliis quoque pene omnibus officiis obſervari dignoſcitur.

De adjutoribus conveniendis. 1. De commeatu. 2. Ne alius Adjutor addatur.

14. Idem A. Tatiano [26] magiſtro officiorum.

HAc lege ſancimus, ſi quando Adjutores Viri Magnifici pro tempore Quæſtoris ſacri noſtri palatii, in accuſationem [27] civilis cauſæ, vel criminalis deducti fuerint, ſtrictum juris, & integritatis congruum ordinem conſervari: ut ſi ſine ſcriptis conveniendi ſint, nomen ejus præcipientis ore deſignatum eſſe ſufficiat. Sin autem ſcriptis in querimonia unus Adjutorum, aut plures forte ferendi [28] ſint, monumenta ſententiarum in perſona tantummodo conveniendi Adjutores præcedentium, æquum & juſtum initium futuro præſtent certamini.

§. 1. Et quoniam probationibus, & exemplis potius quam indecoræ conſuetudini deceat indulgeri: quod in univerſo Devotiſſimorum ſcrinio Libellenſium eviciſſe monſtratur, id in Adjutores ſacræ memoriæ, ſacrarum etiam epiſtolarum transferendum cenſemus: ut qui liberam proficiſcendi licentiam pronunciatione commeatus indepti fuerint, ſine qualibet ſtipendiorum, aut emolumentorum deductione peregre degant: etenim pro tempore Viris Clariſſimis Proximis & Melloproximis, aut eorum Adjutoribus, abſentiæ cauſa vel offerre de ſuo proprio, aut ex annonis, ſeu ſtipendiis quicquam relinquere cogendis: quamvis Januar. Kal. indultum excedat ſpatium, & intra ſe feſtum diem contineat. §. 2. Ad hoc illud obſervari ſancimus, ne alius Adjutor propter quamcunque ambitionem his, qui in præſenti ſunt, vel poſt eorum deminutionem addatur, licet in veterem numerum redacti fuerint.

Ad ſuperiores leges Juſtiniani.

15. Idem A. eidem Tatiano Magiſtro officiorum.

CErtæ quidem ſunt diſpoſitiones noſtri Numinis, quas ſuper adjutoribus [29] Viri illuſtris pro tempore Quæſtoris noſtri palatii, quorum [30] obſequio res agitur Quæſtoria, dedimus: quarum prima quidem ad ſupplicationem eorundem Adjutorum emiſſa, numero eorum, qui erant illo tempore, quo preces nobis obtulerunt, neque aliquem eximi, neque addi præcepit, præterquam [31] ſi quis eorum, vel ad Laterculenſis gradum in ſcrinio ſacræ memoriæ, vel ad ſecundum locum in duobus aliis ſcriniis, id eſt, ſacrarum epiſtolarum, ſacrorumque libellorum, & cognitionum, provectus fuerit, nam his licere deſiſtentibus ab Adjutoris officio alios pro ſe, quos voluerint Adjutores ſurrogare, ultimum [32] locum in iisdem Adjutoribus obtenturos, licet ſuperiorem in Memorialibus habeant. † Altera [33] vero per ſacram pragmaticam facta eſt, per quam excelſæ memoriæ Viro Proculo ſuggerente [34] præcipimus illos etiam Adjutores poſſe in ſuum locum alios inducere, qui per aliquem fortuitum caſum minus implere ſuum officium valeant, veluti ſenium, vel morbum, vel aliam neceſſariam cauſam: quod ex ipſorum Adjutorum petitione idem magnificæ memoriæ Proculus ad nos retulit. Sed in præſenti ab aliis Memorialibus [35], tam in ſcrinio ſacræ memoriæ, quam in cæteris duobus, ſacrarum epiſtolarum, ſacrorumque libellorum & cognitionum relatis, adjici comperimus, deminutionem eorundem Adjutorum impediri per memoratam pragmaticam ſanctionem: & inſuper venditionis quodammodo memorati officii locum introductum eſſe, quod ne de cætero fiat, præſentem ſanctionem ad tuam Magnitudinem mittimus: per quam jubemus illis tantum permiſſum eſſe ſecundum prius noſtræ Serenitatis reſcriptum, alios in ſuum locum ſurrogare, qui vel Laterculenſis gradum in ſcrinio memoriæ, vel ſecundum locum in aliis duobus ſcriniis adepti fuerint: ſecunda [36] noſtra ſanctione ſuper hoc capitulo de cætero ceſſante nullique [37] danda licentia eorundem Adjutorum, præterquam [ſi] ad memoratos gradus aſcenderit, alium pro ſe eisdem Adjutoribus ex quocumque fortuito caſu connumerare; ut eo modo ad veterem numerum [iidem] adjutores redeant: & duodecim quidem in ſcrinio ſacræ memoriæ, ſeptem vero in aliis duobus ſint, id eſt ſacrarum epiſtolarum, ſacrorumque libellorum & cognitionum. Illo videlicet obſervando, ne alius Adjutor per quamcumque ambitionem his qui in præſenti ſunt, vel poſt eorum deminutionem (licet in veterem numerum redacti fuerint) addatur: nam ſi permutationem, licet fortuiti caſus inciderint, prohiberi diſpoſuimus: multo magis prioribus manentibus alios introduci vetamus, cæteris ſcilicet anterioris ſanctionis capitulis in ſuo robore permanſuris [38].

TIT. XX.

DE [39] AGENTIBUS [40] IN REBUS.

Nullus de numero Agentium in rebus locum mortui per pecuniam debet invadere. Bart.

1. Imppp. ARCAD. HONOR. & THEOD. AAA. Anthemio Magiſtro officiorum.

NUllus [41] de ſchola Agentium in rebus de cætero locum mortui conetur invadere, ſed is, qui ordine [42] ſtipendiorum, & labo-

1 Id eſt, ſumptuum, qui in litem faciendi ſunt. Cujac. *hic.* 2 Attinendis. 3 De quibus *l.* 33. *§. executor.* 5. *ſupr. de epiſcopis*, *l. ult. ſupr. de ſportulis*, *l. penult. ſupr. de fructib. & litium expenſis.* §. 24. *Inſt. de actionib. l.* 5. *Ĵ. de numerariis & actuariis. h. lib. tit.* 50. 4 Al. *minuendi.* al. *in minuendis.* 5 Poſcere. 6 Profligitare. 7 Forum militantes in ſacris ſcriniis ſortiebantur apud magiſtrum officiorum. 8 Apud virum autem. 9 Architectorum & mechanicorum æſtimatione & arbitrio in multis cauſis ſtatur de operibus publicis, privatisque & ſervitutibus, *ut hic*, *& Novell.* 7. *c.* 3. §. 2. 10 Perſonam. 11 Vocante. 12 Cauſis. 13 Al. *deeſt.* 14 Quæſtor ſacri palatii erat is, quem nunc *Cancellarium* appellamus hodie. 15 Quæſtoris ſacri palatii adjutores certo numero, hoc eſt, viginti ſex erant, nimirum duodecim ex ſcrinio memoriæ: ſeptem ex ſcrinio epiſtolarum: totidem ex ſcrinio libellorum, *ut hic*, *& l. ult. Ĵ. h. t.* quos *ſacræ vocis miniſtros* vocat interpres *Novell.* 35. Deinde multo plures fuere. Verum antiquus hic numerus 26. reductus eſt *Nov.* 35. Cætera vid. *infr. h. t. & in l. ult. infr. h. t.* 16 Certo. 17 Scrinia quæſtoris tria, memoriæ, epiſtolarum, libellorum. *l. ult. infr. h. t.* 18 Militantes in ſacris ſcriniis memoriæ, libellorum, epiſtolarum, generali nomine memoriales appellantur, & ſunt adjutores potius, quam officiales, *ut hic*: licet *Novell.* 23. officiales dicat improprie. *Notitia Romani Imperii.* Quæſtor officium non habet, ſed adjutores de ſcriniis, quos voluerit. 19 Dictam. 20 Laterculenſis dictus eſt, quia laterculo præpoſitus. Duplex autem erat laterculum, majus & minus. Majus erat codex, qui totius imperii notitiam continebat: minus, in quo dignitatum civilium & militarium notitia continebatur: illud erat ſub cura Primicerii notariorum, hoc vero ſub cura & diſpoſitione Quæſtoris, ut conſtat ex notitia utriusque imperii & Cedreno, differt a palatio. 21 Quæſtoris adjutor intra ſtatutum numerum 26. adjutorum, alium poteſt in ſuum locum ſubſtituere conſentiente Quæſtore, vendito alii loco militiaque ſua. Quin & militiam ſuam tranſmittere in heredes extraneos poteſt, dummodo inferat pro introitu ſolidos centum: & hoc eſt quod ait *l. ult.* S. *de pign.* militias transferri in heredes ſub certa pretii definitione. Pretium autem eſt 100. aureorum: nam nec pluris eam vendere poſſunt adjutores. *Nov.* 35. 22 Al. *deeſt.* 23 *l.* 5. *ſupr. h. t.* 24 *Matricula* hic dicitur, ut *patricula l.* 5. *C. Theod. de domeſticis & protectoribus.* Eſt vero matricula μάτριξ *c.* 120. *Concilii Carthagin.* ἀπογραφὴ τῶν διαφορόντων τῇ ἐκκλησίᾳ. Zonar. 25 Locus. 26 Al. *Proculo.* 27 Al. *accuſatione.* 28 Feriendi. 29 Adjutores viri, memoriales quæſtoris. 30 Memorialium obſequio res agitur quæſtoria: erant enim adjutores quæſtoris, & ex diverſis ſcriniis aſſumebantur. *l.* 2. *ſupr. de pet. bon. ſublatis. lib.* 10. *tit.* 12. ad quæſtorem denique pertinebant. Dicuntur in *d. l.* 2. Græcis οἱ ἐν τοῖς ὑπομνήμασι. *& in l. eos.* 11. S. *de excuſat. munerum. lib.* 10. *tit.* 47. οἱ τῶν ὑπομνημάτων πάντων, *& in l.* 5. *Ĵ. qui militare. h. l. tit.* 34. τῶν κελεύσεων φύλακες, leges enim & reſcripta excipiebant & perſcribebant, ſeu perſcribi curabant. 31 Adjutorum quæſtoris certus ita numerus eſt, ut nullorum in locum alii ſupra numerum ſubrogari poſſint: niſi ſi qui ſint adjutores ſupra numerum, laterculenſes in ſcrinio memoriæ, vel aliis duobus ſcriniis melloproximi. Hi namque alium poſſunt in locum ſuum ſubrogare, accepto pretio quantolibet, *ut hic.* 32 Intimum. 33 *l.* 13. *ſupr. h. t.* 34 Pragmatica fit de conſilii ſententia ſolenniter, ſuggeſtione aliena precibusque, ut differat ab adnotatione, oraculo ſacro, mandato. dixi ad *l. ult. ſupr. de pet. bonor. ſublatis. lib.* 10. *tit.* 12. 35 *l.* 13. *in fin. ſupr. h. t.* 36 Secundum noſtram ſanctionem. 37 Nulli danda. 38 Duraturis.

39 *L.* 6. *C. Theod.* 27. Agentes autem in rebus militant in rebus & actis reip. Græcis *Magiſteriani.* quod magiſtro officiorum ſæpe attribuuntur. Marianus Scot. *Nov.* 17. *c.* 4. & 124. 40 Agentes in rebus ſunt, qui militant in rebus, id eſt, in actu Reip. *qui ſont en eſtat & ſervice.* Goth. Vid. Turneb. *Adverſ. lib.* 13. *c.* 10. S. L. 41 Conjunge *l.* 2. *ſupr. de off. magiſt. off. l.* 14. *C. Theod. h. t.* 42 *l.* 7. *ſupr. de prox. ſacr. ſcrin. h. lib. tit.* 19.

rum merito ad gradum militiæ ſequebatur, ſtatim atque illum fata ſubduxerint, in ejus præmia percipienda ſuccedat, omni objectione [1] ceſſante. Dat. prid. Kal. Jul. CP. HONORIO A. VI. & ARISTENÆTO CONSS. 406.

2. Impp. HONOR. & THEOD. AA. Helioni [2] Mag. off.

NUlli [3] poſthac ſine noſtræ Majeſtatis auctoritate diſcingendi agentem in rebus, nulli eximendi [4] pateat copia: nam probata ſchola, & animadverſionem vereri [5] Judicis, & nullam timere debet contumeliam vilitatis [6]. Dat. 3. Id. Novembr. CP. HONORIO X. & THEODOS. VI. AA. CONSS. 415.

Matricula Agentium in rebus non debet eſſe niſi XLVIII. quorum quilibet præeſt ducentis.

3. Imp. LEO A. Patricio Mag. offic.

MAtriculam [7] Agentium in rebus a tua celſitudine confectam admittentes, jubemus, ne ducenarii [8] plusquam quadragintaocto in ſingulis habeantur in poſterum, & numerum centenariorum [9] ducenti viri, quos vacante [10] tempore gradus competentes admiſerint: parique modo biarchorum nomen, meritumque ducenti quinquaginta viri duntaxat: præterea circitorum trecenti, & equitum quadringenti quinquaginta impleant. Sit in æternum illa quoque fixa [11], ſtabilisque tuæ ſublimitatis diſpoſitio: ut ſi quis de numero ducenariorum, quos quadragintaocto [12] quotannis eſſe cenſuimus, forſitan de luce migraverit, laborum [13] ejus fructum ſucceſſores ab inteſtato, vel ex teſtamento venientes, & lucrum diſpenſent, & ita [14] omnibus inter cæteros ſuperſtites potiantur ſolatiis, tanquam ſi vivus [15], qui hæc eadem diu ſperaverat, ſibimet vindicaſſet, qua de cauſa locum etiam ejus ſucceſſorum intuitu vacare conveniet. Nemo autem ſine divali probatoria [16], quam Codices in ſacro noſtro ſcrinio memoriæ poſiti debeant inſerendam accipere, militaribus ejusdem devotiſſimæ ſcholæ ſtipendiis, vel privilegiis potiatur [17].

4. Idem A. Patricio Mag. offic.

EX [eo] quo primum ducenæ, vel centenariorum gradum in ſchola Agentium in rebus militantes meruerint, deſinant in ſacratiſſima videlicet Civitate conſtituti alterius Judicis cujuslibet auctoritate pulſari [18], vel in alio quolibet examine, præterquam Viri Magnifici magiſtri officiorum [19], & cui forſitan ipſe conceſſerit, actionibus ſui quisque [20] adverſarii reſpondere, quod multo magis in criminalibus cauſis obſervari decernimus: abſurdum [21] eſt enim, ut in ejus ſalutem, vel exiſtimationem valeat quisquam proferre ſententiam, cujus de nulla re poſſit pecuniaria judicare. Hujus autem beneficii prærogativam Subadjuvis [22] etiam, qui ſingulis inveniuntur temporibus, deferri jubemus, licet hanc in eorum perſona more quoque [23] veteri ſervari cognoverimus: ut tamen poſt depoſitum officium memoratum, ſi non inter centenarios numerentur, communi jam lege reſpondere non ambigant. Prædictas autem omnes centenariorum [24] perſonas in Provinciis repertas, conceſſa nunc ſpeciali fori prærogativa, (niſi publicæ executionis ſolicitudo his injuncta ſit) uti prohibemus: eosque ordinariorum etiam Judicum pro veteri jure ſententiis obedire præcipimus.

TIT. XXI.

DE [25] PRÆPOSITIS [26] AGENTIUM IN REBUS.

1. Imp. LEO [27] A. Patricio Mag. officiorum.

AGentes in rebus, qui per ordinem conſequi ſolent Principatus inſignia in uno quoque ſcrinio fabricarum, & barbarorum [28] quaternos Subadjuvarum [29] ſolicitudine per annum duntaxat integrum procedentes, gradatim ſubire hac in æternum valitura lege decernimus: exceptis [30] videlicet univerſis negotiatoribus quibuslibet mercimonium per ſe gerentibus, interpoſitasve perſonas: cum eis ante ſacratiſſimis conſtitutionibus interdictum ſit militare: exceptis nihilominus his, qui poſſeſſionum alienarum ſolicitudinem, procurationemve ſuſceperint: eos enim ad hæc officia volumus adſpirare, quorum labores ſcholæ Agentium in rebus teſtimonio comprobantur. Illi quoque ſunt ab hac liberalitate noſtræ Manſuetudinis excludendi, qui cum ſcholæ eidem ſocientur, in ſacris ſcriniis, quibus Vir Spectabilis [31] Primicerius, & Tertiocerius præſunt, adjuvantes eos publicarum chartarum tractatibus occupantur, & duobus [32] officiis operam ſuam adhibere non poſſunt: nam præter emolumenta, quæ de prædictis ſcriniis conſequuntur, Principatus etiam ſolatio debent eſſe contenti. Quod ſi morbo, vel ætatis ſenio capti, & imperiti hujusmodi rerum, vel quocunque alio vitio præpediti, per ſe memorati officii curam ſubire nequiverint: conſideratis præcedentibus eorum laboribus, per ſubſtitutum [33] Chartularium ejusdem ſcrinii, cui præfuturus [34] eſt ipſe, idoneum, & tam moribus optimis præditum, quam ſcientiam peritiamque rerum habentem electione ſua, ſuarumque periculo facultatum, præfatum [35] munus eos implere præcipimus.

2. Imp. ANASTASIUS Celeri Magiſtro officiorum.

HAc [36] ſaluberrima ſanctione decernimus, Agentes in rebus pro conventionibus, & modo ſportularum executoribus [37] præbendarum, pro quantitate ſumptuum, quæ circa litigia ſibimet ab aliis inferenda, vel a ſe contra alios per ſemetipſos, ſeu per ordinandos a ſe Procuratores exercenda, convenit ab his agnoſci: beneficiis, quæ in ſacro noſtro militantibus miniſterio [38] jampridem per divinas ſanctiones indulta ſunt, perpotiri: [&] fidejuſſorem idoneum de eadem ſchola, non autem extraneum offerre compelli: ita tamen ut privilegia quæcunque Centenariis, ſeu Ducenariis, vel Chartulariis, ſeu Viris Clariſſimis Principibus poſt depoſitam quoque militiam jam per diſpoſitiones principales impertita, & nunc usque obſervata eſſe noſcuntur, intacta inviolataque cuſtodiantur: cum perabſurdum, perque temerarium ſit, hanc noſtræ liberalitatem Pietatis quemquam aſtuta interpretatione non ad augmentum anteriorum privilegiorum, ſed deminutionem convertere concedi, ſimili videlicet forma pro matribus, & uxoribus eorum, nec non etiam liberis ſub eorum poteſtate conſtitutis, nec aliam ſortitis vel ſortituris militiam, necnon etiam ſervis ad eos pertinentibus, ſervandis: ita ut in Provinciis quoque ſupradictæ perſonæ degentes ſimili beneficio perfruantur: ſportulas tamen, & litium expenſas, pro tertia ſuperius enarratæ quantitatis parte ſoluturæ, denarum librarum auri condemnatione, aliaque graviſſima indignatione his feriendis, quicunque noſtra juſſa quolibet modo, ſeu tempore violaverint, ſeu violari conſenſerint.

TIT. XXII.

DE [39] PRINCIPIBUS [40] AGENTIUM IN REBUS.

1. Imppp. GRAT. [41] VALENT. & THEOD. AAA. Cynegio P. P.

AGentes [42] in rebus poſt palmam laboris emeriti, Principatus honore remuneramus, atque ideo officialis [43] tam ad neceſſitates publicas, quam privatas nonniſi [a] Principe mittatur [44] auctore, nullarumque [45] ſine ipſo cuiquam mandetur exhibitio perſonarum, etiamſi interceſſio [46] in locis degentis officii fuerit impertita. Cauſarum etiam patronos [ita [47]] volumus eſſe conventos, ne ignorante principe ullam poſtulationem introducant: neve ſub unius perſona ſuſcepti [48], fraude quadam, aliena negotia inferenda eſſe pertentent: quod ſi fuerit definitio contempta, decem libras auri fiſco noſtro ab officio tuo jubemus inferri. Dat. prid. Kal. Mart. CP. HONORIO NB. P. & EVODIO CONSS. 386.

2. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Theodoro P. V.

OMnia [49] citatoria, omnium ſcil. cauſarum, atque perſonarum, licet ſint [50] Senatoriæ dignitatis, ad Principes [51] ſpecialiter revocari præcipimus: actus vero cæteros qui a [ſacratiſſimo] cœtu Senatus tractari conſueverunt, Cenſualium [52] ſolicitudine celebrari: nec aliquod præjudicium ex ſurreptitio reſcripto ſupplicibus inferri. Dat. 12. Kal. Jun. CP. OLYBRIO & PROBINO CONSS. 395.

3. Imp. [53] HONOR. A.

PRoconſularis [54] apicis dignitatis adjectione Principes [Agentium] in rebus præcipimus decorari. Dat. 7. Kal. Octobr. *Ravennæ*, VARANA V. C. CONS. 410.

4. Impp. THEOD. & VALENT. Valerio Mag. offic.

EX [55] Agentibus in rebus Principibus domeſticos in ſuis actibus habere liceat [56] eos, quorum fidem, induſtriamque probatam ſibi exiſtimant, etſi ſæpe eodem officio fuerint ante perfuncti. Et ſi quis agens in rebus poſt XXV. annorum curricula, ob adverſam corporis valetudinem, militiæ finem minime valuerit expectare, ſed ad honorariam ex Principe dignitatem teſtimonio ſcholæ proſiluerit, hisdem eum privilegiis muniri cenſemus, quibus hi qui ad Principatus actum progreſſi ſunt, potiuntur. Sed in ſalutationibus Judicum, conſeſſibusque priores eos, qui per longæ militiæ metas ad Principatus actum pervenerint, etſi actus tempore poſteriores ſint, eſſe præcipimus: nihil Cenſualibus, vel apparitoribus adverſus privilegia eorum excogitantibus, tanquam in actu Principatus fuerint verſati: vicenarum librarum auri condemnatione contra eos propoſita. Datum 4. Kalend. Februar. CP. THEOD. A. XV. & qui fuerit nunciatus.

5. Iidem AA. Cyro P. P.

EOs, qui ordine transcurſa militia, poſt ducenam [57] ad deſideratum Principis pervenerint gradum, aut Adjutores Viri Illuſtris Magiſtri officiorum extiterint: cum inter honoratos cœperint numerari, Vicarianæ [58] dignitatis titulis decorari cenſemus.

6. Iidem AA. Nomo Mag. offic.

PRincipes Agentium in rebus, quos ſæpe ſæva pericula, vitæque interdum renunciatio ad memoratum gradum adduxit: completo [59]

1 *Obreptione*, in *vet. lib.* 2 Al. *Heliodoro.* 3 *l.* 17. *C. Theod. hoc tit.* 4 Exeundi. 5 Al. *veteris.* 6 Al. *Utilitatis.* 7 Vide *in hanc legem* Pyrrhum & Alc. 8 Agentium in rebus alii primarii, ſenatores, ducenarii, centenarii, biarchi, circitores, equites, tirones. *l.* 1. *l.* 3. *ſupr. de off. magiſt. offic. l.* 1. *Ĵ. de priv. ſchol. h. lib. tit.* 30. *l.* 2. S. *de off. P. Prætorio*, *l.* 2. *C. Theod. de filiis milit. apparit. l.* 3. *Ĵ. de filiis off. h. lib. tit.* 48. Notitia imperii. Hieronym. *adverſ. Joan. Hieroſol.* 9 Centenarii qui, dixi ad *l.* 5. *Ĵ. de princ. agent. in reb. h. lib. tit.* 22. 10 Vocante. 11 Præſumitur, pro matricula. vid. Alciat. 3. *præſumpt.* 17. 12 10. *al.* 8. 13 Vide *l. ult. ſupr. de domeſticis & protectorib. h. lib. tit.* 17. 14 Ita ut. 15 Si unus. 16 Probatione vide *l.* 9. *Ĵ. de diverſis officiis. h. lib. tit.* 60. 17 Potiantur. 18 Pulſari apud alium, quam hunc vel illum judicem, prohibitus, non modo in civili, ſed & in criminali apud alios judices conveniri non poteſt. Corſetus *ſingulari ſtatutum ſtatuto cavetur.* 19 Forum, agentes in rebus ſortiebantur apud magiſtrum officiorum poſt ducenæ & centenæ gradum. 20 Quisquam. 21 Argumentum a minori ad majus. Qui minus non poteſt, majus non poteſt. 22 Prærogativam his etiam qui ſub aliis cingulis inveniuntur, pro temporibus, def. &c. *Goth.* Habuit magiſter officiorum adjutorem ex ſchola agentium in rebus, *l.* 12. *ſupr. tit. prox.* & ſubadjuvas adjutoris duos; habuit & ſubadjuvas fabricarum. quos conſtat fuiſſe ſub diſpoſitione magiſtri officiorum, & ſubadjuvas barbariorum, id eſt, officinarum barbaricariorum, *l.* 3. *C. Theod. de agent. in reb. Periculum*, inquit, *ſe & adjutor & ſubadjuva ſubdituros eſſe cognoſcant &c.* iidemque chartularii dicuntur ibidem *l.* 5. *&* 6. Mod. 23 Quot velit. 24 Centenarii qui, vide *l.* 5. *Ĵ. de princ. agent. in reb. h. lib. tit.* 22. ubi dixi.

25 *L.* 6. *C. Theod.* 27. 26 *Principibus, in manuſcr. al.* non eſt nova rubrica. Cont. ambarum, ſed male. 28 Al. *barbaricorum*, al. *barbaricariorum.* 29 *Recte*, al. *ſub* 27 Al. Zeno. 30 *l. unic. Ĵ. Negotiatores ne militent. h. lib. tit.* 35. 31 Viri ſpectabiles. 32 Vide *l.* 5. *Ĵ. qui militare poſſunt. h. lib. tit.* 34. 33 Subſtitutum dare ad munus ſuum obeundum qui poteſt, idoneum plane dare cogitur, quod & in adſeſſoribus, profeſſoribus, militibus, & aliis quibuscunque merito ſimili in ſpecie dicendum eſt, Corſetus *ſingulari ſubſtitutus.* 34 Al. *præfectus.* 35 *In quib. vet.* additur, *ſubadjuvæ.* 36 Hanc ſaluberrimam ſanctionem. 37 Executionibus. 38 Non eundem, ut exiſtimavit Accurſius, ſportularum modum litigantibus in rebus Anaſtaſius præſcribit, quem præſcripſit militantibus in ſacris ſcriniis, *l.* 12. *tit. prox.* ſed eundem quem Leo & Zeno miniſterianis, *l. ult. Ĵ. de caſt. & miniſt.* & hoc quidem in urbe. In provinciis ſportularum modus eſt levior, pro parte nimirum tertia, & hoc ſive ipſi litigent, ſive procuratores, ſive mares, uxores, liberi, ſervi eorum. Ad hæc confirmat privilegia data centenariis & ducenariis, & ſubadjuvis *l.* 4. S. *de agentibus in reb. l. ult. tit. ſeq.* Mod.

39 Principatus eſt dignitas ejus, qui cæteros agentes in rebus antecellit, pro præmio exacti laboris tributa. Caſſiodorus *lib.* 1. 40 Περὶ πρίγκιπος καὶ μαγιστριανοῦ καὶ ἑτέρων τινῶν στρατευομένων. *Syn. Baſil.* 6. *tit.* 30. adde *L.* 6. *C. Theod.* 27. 41 *Al.* Imp. Zeno. 42 *l.* 4. *C. Theod. h. t.* 43 Officiales. 44 Mittantur. 45 Nullaque. 46 Executio, vide *l.* 8. S. *de off. rect. provinc. l.* 7. S. *quæ res pignor. obl.* 47 *Abeſt a quibusd.* 48 Suſceptum, clientem dicit eſſe Cujac. & Pithœus multis auctoritatibus confirmat. Idem ſubmiſſus vocatur, de quo alias dixi ad *l.* 3. *ff. de uſu & habit.* 49 *l.* 5. *C. Theod. h. t.* 50 Fuit. 51 Et principis. 52 Vide Capitolinum *in Gordiano.* 53 Impp. Honor. & Theod. AA. Palladio proc. Africæ. 54 *l.* 7. *Cod. Theod. hoc tit.* 55 *l.* 8. *C. Theod. h. t.* 56 Hi tamen domeſtici completo actu eundem repetere non poſſunt, *l.* 5. *&* 6. S. *de Aſſeſſ. Principum.* domeſtici poſſunt. *Mod.* 57 Ducena: *ut hic*, (unde ducenarii. *l.* 1. *ſupr. de exact. tribut. l.* 10. *tit.* 19.) & centena, unde centenarii. *d. l.* 1. *& l.* 3. *& l.* 4. S. *de agentib. in rebus h. lib. tit.* 20. *l.* 1. *Ĵ. de lucris advocat. h. lib. tit.* 62. *l.* 1. *C. Theod. de Cæſarianis*, *l.* 1. *C. Theod. de murileg. l.* 5. *C. Theod. de decurion. l.* 3. *C. Theod. de cohortali*, *& pr. eorum. l.* 1. S. *de off. magiſt. off.* Euſeb. 7. Cyprianus *in epiſtol.* Suet. *Claudio cap.* 24. dignitates & officia ſunt in ſchola agentium in rebus & in officio ſacrarum largitionum: ſic dicta forte a numero pecuniarum eis commiſſarum: nam & hac ratione procuratoribus Cæſaris indita nomina. *Dion.* 53. vid. Cujac. *ad l.* 1. *ſupr. de exactor. tribut.* 58 Vicariæ. 59 Expleto.

tempore militiæ, ſeu Comitivæ primi ordinis cingulo in diem vitæ potiri (manentibus videlicet dudum præſtitis ſalvis privilegiis) decernimus.

Militans in ſchola Agentium, ſi fuerit de corpore cohortalium, licet Princeps Agentium factus ſit, filium curiæ obligatum relinquit. Bart.

7. Imp. LEO A. Nicoſterio P. P.

QUicunque ex corpore cohortalium militans in ſchola Agentium in rebus filium procreaverit: antequam [1] ad metas militiæ ſuæ perveniat, Principatus honore decoretur [&] licet ipſe poſt finitam militiam, utpote liber, nulla debeat hujusmodi conventione pulſari, filium tamen cohortali conditioni relinquat obnoxium. Si vero poſtquam adeptus fuerit Principatum, ediderit filium: is, qui natus eſt, etiamſi in ſchola Devotiſſimorum Agentium in rebus militiam ſortitus non fuerit, ita liber ſit, ac ſecurus, [ut [2]] nec ullis cohortalis officii nexibus obligetur, quaſi jam ex patre libero, & ab hac conditione penitus alieno progenitus.

8. Imp. ZENO [3] A. Joan. Magiſtro offic.

MUltis devotiſſimæ ſcholæ Agentium in rebus aditionibus permoti, Viros Clariſſimos ejusdem [4] ſcholæ principes [5], qui finitis militiæ ſtipendiis exeunt: quotiens ex majoris judicis ſententiis ipſi, vel eorum conjuges, aut liberi, vel ſervi, aut coloni, ſive per ſe, ſive per procuratores conveniantur, non amplius quam unum ſolidum executoribus ſportularum nomine præbere compelli: apparitoribus Vicariani ſeu Præſidalis [6] judicii, nonniſi tertia parte ſolidi tantum præſtanda: nullasque iisdem concuſſiones, aut vexationes in præbendis fidejuſſoribus ingeri, ſed eos fidejuſſores, quos locorum defenſor exiſtimaverit, dare: ita videlicet, ut pro tenore generalium Edictorum hi, qui vel in ſacratiſſima Urbe, vel in Provinciis immobiles poſſident facultates, adjuratoriæ [7] cautioni, & ſubſtantiæ ſuæ credantur.

† Hoc etiam adjiciendo, ut nunquam niſi [8] ex ſententia in ſcriptis prolata penitus moveantur [9]. Ad ſimilitudinem inſuper aliorum officiorum, quotiens civiles vel criminales contra eosdem cognitiones moventur, executorem quidem negotii usque ad finem litis civilis, ſeu criminalis, unius eſſe ſolidi præſtatione contentum; & pro inſinuandis noſtræ Serenitatis apicibus, vel ſimplici contra obnoxios eorum poſtulatione deponenda, binos ſolidos ab his, vel conjugibus eorum præberi: & quotiescunque exemplaria poſtulantur, hi quorum intereſt, accepto ſolido, quod petitur, præbere non differant [10].

† Pro implendis vero monumentis, unde conveniendi tribuitur executoribus facultas, non ultra quam tres ſolidos quibus competit, impertiri præcipimus: arbitro vero non amplius, quam ſolidum: & fiſci patronis dimidiam ſolidi partem: notariis vero tertiam usque ad finem (ſicut dictum eſt) cauſæ præſtare, ſuper editione quoque chartularum ſolidi partem dimidiam præbere. Quod ſi non apud arbitrum, ſed in competentibus Judiciis majoribus cognitio celebretur, inducendi quidem negotii gratia, nonniſi quatuor ſolidos eosdem Viros Clariſſimos erogare: geſtorum vero excipiendorum cauſa duos tantummodo ſolidos dare: & nullius ultra ſupraſcriptas quantitates cuilibet alteri præſtandi ſumptus exactione vexari: his omnibus locum habentibus, ſive ipſi aliis litem ingerant, ſive [11] ab aliis pulſentur. Dat. Kalend. Sept. THEODOSIO CONS.

TIT. XXIII.

DE [12] CURIOSIS [13], ET STATIONARIIS [14].

Denuncians maleficium punitur, ſi non probat. Bart.

1. Imp. CONSTANTIUS A. ad Lollianum P. P.

CUrioſi, & ſtationarii, vel quicunque funguntur hoc [15] munere, crimina judicibus nuncianda meminerint, & ſibi neceſſitatem probationis incumbere, nec [16] citra periculum ſui [17], ſi inſontibus eos calumnias nexuiſſe conſtiterit [18]: ceſſet [19] ergo prava conſuetudo, per quam carceri [20] aliquos immittebant. Datum 11. Kalend. Aug. *Mediol.* ACC. 12. Kal. Septemb. ARBITIONE, & LOLLIANO CONSS. 355.

Officium Agentium in rebus eſt, curam habere ſuper evectionibus curſus publici, portando pecuniam publicam per Provincias. Jo. de Plat.

2. Idem A. & Julianus C. ad Taurum P. P.

AGentes [21] in rebus, in curis agendis, & evectionibus publici curſus inſpiciendis, noſtrorum memores præceptorum, credimus in omnibus velle profuturæ Reipublicæ: ideoque ſolos Agentes in rebus in hoc genere juſſimus obſequium adhibere: & non ab alio penitus officio. Hi vero pervigili diligentia providebunt, ne quis contra evectionis auctoritatem moveat curſum, vel amplius poſtulet quam conceſſit evectio. Quisquis igitur aliquid tale perpetrare tentaverit, improbi cœpti privetur effectu. Demonſtretur etiam Judicibus, vel curioſis evectio, etiamſi non ſolis jubentibus feſtinare memoret in obſequium neceſſarium, nec prævaleat contumacia, vel dignitas. Ergo nummum [jam] vetamus expoſci pro animalibus in curſu [22] minime conſtitutis. Quod ſi forte aliquis exiſtimaverit perpetrandum, ejus quadruplum quod accepit, inferre cogatur. Dat. 15. Kal. Maji, *Mediol.* CONSTANTIO A. IX. & JULIANO CÆSARE II. CONSS. 357.

3. Idem A. ad Agentes in rebus.

PEr id tempus [23], quo curſus tuendi ſollicitudinem ſuſtinetis, condemnationes præfectorum circa eos ſolos irritæ ſunt futuræ, qui ſervaverint honeſtatem: erga eos vero qui inhoneſte, & contra decus ſeculi, vel honorem militiæ verſabuntur, non ſolum condemnatio manſura eſt, verum etiam gravior pœna eſt ſtatuenda. PP. Prid. Kalend. Decembr. EUSEBIO & HYPATIO CONSS. 359.

4. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Marcello Mag. offic.

AGentes in rebus ſingulos per ſingulas Provincias mittendos eſſe cenſemus, quibus [24] inſpiciendarum evectionum tantum debeat cura mandari, ut nihil prorſus commune, aut cum judicibus, aut cum provincialibus habeant: nec naves debebunt illicita concuſſione vexare: nec libellos, aut atteſtationes, vel conteſtationes litis gratia ſuſcipere, aut in carcerem quemquam trudere [25], ſed curſui ſolum [26] vacare. Dat. Kalend. Jun. CP. OLYBRIO & PROBINO CONSS. 395.

TIT. XXIV.

DE PALATINIS [27] SACRARUM LARGITIONUM, ET RERUM PRIVATARUM.

De muneribus.

1. Impp. CONSTANTIUS & CONSTANS AA. ad Beronitianum Vic. Aſiæ.

PAlatini [28] pro [29] capitibus, ſeu jugis ſuis tantum penſitationem atque obſequia recognoſcent, extraordinariis [30], & ſordidis muneribus, & ſuſceptionibus, & temonariis oneribus liberati. Dat. Non. Maji, *Conſtantinop.* CONSTANTIO IV. & CONSTANTE III. AA. CONSS. 342.

De everſore.

2. Imppp. VALENT. VALENS & GRAT. AAA. Titiano C. S. [31] L.

NUllus Theſaurenſis [32], vel Officialis Comitis theſaurorum ſemel deprehenſus everſor [33], quocunque pacto, aut repetat militiam ſuam, aut aliam ſibi requirat per ambitum dignitatem, vel ſeſe transferat ad aliam quamcunque militiam. Dat. 8. Kalend. Februar. *Antiochiæ*, GRATIANO A. IV. & MEROBAUDE CONSS. 377.

De principe officii Comitis domorum.

3. Imppp. GRAT. VALENT. & THEOD. AAA. Pancratio Com. R. P.

PRiſco [34] jam nunc ordine revocato, de palatino potius officio ad regendum Principatum [35] officii Comitis domorum per Cappadociam mittantur, quales Comes etiam domorum, ſi inhoneſtum aliquid geſſerit [36], vereatur. Idoneos itaque ſingulis annis e numero mittendariorum [37] ad hoc eligere debebis, & mittere. Dat. prid. Non. Jul. *Scopis*, AUSONIO, & OLYBRIO CONSS. 379.

De Judicibus provincialibus.

4. Iidem AAA. Heſperio P. P.

NIhil [38] omnino ullis judicibus cum palatinis noſtræ clementiæ, quicunque a comitibus diriguntur, ſit commune atque conjunctum: ſed excepta reverentia, quæ non ſolum ab inferioribus, ſed etiam a majoribus, & in provincia degentibus Rectoribus provinciarum debetur, atque defertur, ſuis quisque neceſſitatibus obſecundet. Datum 8. Id. Decembr. *Sirmii*, AUSONIO & OLYBRIO CONSS. 379.

Ne is qui militavit, & princeps fuit in aliquo ordine, ad alium ordinem tranſeat.

5. Iidem AA. Nebridio P. P.

QUidam [39] poſt impletum ordinem militiæ palatinæ quam geſſerant, honoremque tranſactum, ad exceptorum ſcrinia tranſire nituntur. Hac igitur lege ſancimus, ut nulli prorſus dehinc iſta audendi [40] relinquatur occaſio: ſed unusquisque ejus ſcrinii, quem [41] primum militando elegit, ordinem perſequatur [42]: nec in alterius loco finem militiæ requirat, qui [43] jam proprii ordinis tranſegerit principatum. Datum 5. Id. Octobr. CP. MEROBALDO II. & SATURNINO CONSS. 383.

Ne quid Præfecti Prætorio, Præſidesve palatinis injungant.

6. Iidem AA. ad Probum P. P.

AB [44] officiis Palatinorum Excellentia tua ſciat ita penitus eſſe recedendum, ut neque ipſa poſtmodum licitum ſibi credat iisdem [45] aliquid injungere: & præterea [46] provinciarum Rectores prohibeat [47]

1 Natus patre nondum cohortali, non eſt cohortalis filius: manet in priſtina conditione parentis, in qua fuit, antequam eſſet cohortalis, ut hic. Patri quæſitas dignitas liberis antea ſuſceptis non nocet. vid. omnino quæ ſcripſi ad l. 11. ſupr. de dignitatibus. 2 Al. abeſt. 3 Sic legendum; Zeno, non Anaſtaſius. nam hæc lex citatur ſ. in l. 2. de comitib. conſiſtorianis h. lib. tit. 10. & in quib. vel. cod. additur, Joanni magiſtro officiorum. 4 Ejus. 5 Principes ſcholæ. 6 Præſidalis. 7 Adjuratoriæ, al. juratoriæ. 8 l. ult. J. de caſtrenſ. & miniſt. h. lib. tit. 26. 9 Moveantur. 10 Differat. 11 Intereſt Reipublicæ, delicta & maleficia non latere, aut impunita non eſſe. l. 6. ʃ. de defenſ. civit. l. 14. ſupr. de pœnis. l. 51. §. 2. verſ. quod ſi. ff. ad l. Aquil. l. 31. ff. depoſiti. intereſt, multos eſſe accuſatores criminum. 12 Vid. quæ ſcripſi ad l. ult. J. de caſtr. & miniſt. h. lib. tit. 26. 13 L. 6. C. Theod. 29. περὶ φροντιστῶν τοῦ δρόμου. De curatoribus curſus. Synopſ. Baſil. 6. tit. 31. 14 Incluſa deſunt in quib. lib. ſed in alio hic tit. præcedenti conjungitur. Cæterum curioſos, qui & curagendarii dicuntur in l. 1. C. Theod. h. titul. fuiſſe ex agentib. in rebus tradit Cujacius hic, quem vide. 15 Curioſi & ſtationarii munus fuit crimina inveſtigare & judicibus nunciare: ita reges Medorum in eam rem ſuos habuere κατασκόπους. Herodot. & hi quidem Curioſi, quaſi quæſitores quidam. Eam in rem Darius, teſte Plutarcho, multos ſemper habuit ὠτακουστάς, qui principis aures appellabantur, & delatorum munere apud eundem fungebantur, & Mæcenas agens cum Auguſto de his, quæ ad Rempublicam videntur neceſſaria, delatorum quidem miniſterio utendum monet, ſed non temere fidem eſſe eis adhibendam. Dion. 52. 16 Criminum nunciatores non impune calumniantur. ſic improbus Irenarcha, qui ad præſidem notoria falſa miſerat, punitur ab Antonino Pio. l. Divus. 6. ff. de cuſtodia & exhibit. reorum. & ab ipſo Conſtantino, hujus legis autore, calumniatores acerbe ſunt puniti. Sextus Aurelius Victor. quanquam non ita ſeverus ipſe fuerit adverſus Donatianos, qui Cæcilianum, vel Arianos, qui Athanaſium calumniis exagitabant. 17 Suis, al. ſi viris. 18 Contigerit. 19 l. 1. J. de cohort. & princ. cornic. h. lib. tit. 58. 20 Curioſi, manum in aliquem injiciendi, aut in carcerem abducendi jus non habent. 21 l. 2. Cod. Theod. h. t. 22 Curſum. 23 Temporis. 24 Al. additur, tam. al. tamen. 25 Tradere. 26 Curis ſuis.

27 Περὶ παλατινῶν. Syn. Baſil. 6. tit. 32. L. 6. C. Th. 30. 28 Palatinorum nomen generale eſt: omnes enim in palatio habitantes, palatini dicebantur: ſed hunc titulum de apparitoribus comitum eſſe hic oſtendit. 29 C. Theod. 11. 16. 6. ubi additur, & Conſtantinopolitani cives. 30 Adde l. 6. l. 10. l. 13. l. 14. J. h. t. l. 1. l. 2. l. 3. J. de privilegiis eorum qui in ſacro palatio militant. h. lib. tit. 29. 31 Id eſt, ſacrarum largitionum, qui & theſaurorum comes, l. 2. verſ. Sed. ſupr. ut dignitatum ordo. h. lib. tit. 8. 32 l. 14. Cod. Theod. lib. 8. tit. 7. Theſaurenſis, officialis Comitis theſaurorum ſeu ſacrarum largitionum. 33 Everſores, hic & l. 1. C. Theod. de ſuſcepto. (qui interverſores in l. 8. ſupr. de jure fiſci) ſunt adminiſtratores, qui dolo malo dilapidant rem pecuniamve fiſcalem. Eadem ratione, qua in ſchola Rhetorum quidam olim everſores dicebantur, autore Auguſtino 3. confeſſion. 3. & lib. 5. cap. 12. Decoctores dicuntur in l. 40. ʃ. de decur. l. 12. ſupr. de ſuſcept. l. 10. tit. 70. 34 l. 2. C. Theod. hoc tit. 35 Comites domorum officium habent & officii principes ex officio palatino Comitis rerum privatarum, non ex ſchola agentium in rebus, priſco ordine ita revocato in uſum. 36 Congeſſerit. 37 Mittendorum. adde l. 7. l. 8. J. h. t. l. 1. §. 8. circa finem ſupr. de offic. præf. prat. Africæ. l. 2. ſupr. de canone largit. tit. l. 10. tit. 23. 38 l. 4. C. Theod. h. t. 39 l. 5. C. Theod. h. t. 40 Audiendi. 41 A ſe primum militando electi. 42 l. 7. in princ. J. h. t. 43 Quia. 44 l. 6. Cod. Theod. h. t. 45 l. 1. ſupr. h. t. 46 Propterea. 47 Al. prohibeant.

quicquam

quicquam ulterius tale conari. Datum 7. Kalend. Novembr. *Mediol.* poſt conſ. MEROBAUDIS II. & SATURNINI.

De dignitatibus, & annonis.

7. Iidem AA. Trifolio Com. S. Lar.

SCriniis [1] omnibus largitionum comitatenſium infraſcriptas decernimus dignitates: ut his contenti, ambiendi [2] ſibi aditum interclusum eſſe cognoſcant, etiamſi ſpeciale beneficium emendato ſuffragio quisquam voluerit [3] impetrare. Annonas etiam juxta definitum dignitatum modum volumus præſtari: nec amplius quicquam præſumi.

§. 1. Brevis, quas dignitates per ſingula ſcrinia officium [4] ſacrarum largitionum habere ſtatuimus, hic eſt: † Scrinii exceptorum perfectiſſimus [5] ordinis ſecundi numero [6] unus, id eſt, primicerius [7] exceptorum unus: ducenarii duo, i. e. unus tertiocerius, & quartocerius: centenarius unus [8], i. e. primicerius inſtrumentorum: epiſtolares num. duo: formæ primæ num. triginta ſex: formæ II. num. IV. formæ tertiæ num. III. † Scrinii numerorum [9] perfectiſſ. [10] ordinis tertii num. unus [11]: ducenarius num. unus: centenarii num. duo [12]: epiſtolares num. duo [13]: formæ primæ num. tres [14]: formæ ſecundæ num. unus [15] [formæ tertiæ num. duo]: † Sacri ſcrinii tabellariorum [16] perfectiſſ. [17] ordinis tertii num. unus: ducenarius num. I. centenarius num. I. epiſtolaris num. I. formæ primæ num. III. formæ ſecundæ num. V. † Scrinii canonum perfectiſſ. ordinis tertii num. I. ducenarius num. I. centenarius num. I. epiſtolares num. II. formæ primæ num. IV. formæ ſecundæ num. IV. † Scrinii mittendariorum [18] ducenarius num. I. centenarii num. II. epiſtolares num. VIII. formæ primæ num. VII. formæ ſecundæ num. triginta tres.

† Scrinii aureæ maſſæ præfectiſſ. ordinis tertii num. unus, id eſt, primicerius ſacræ maſſæ, num. I. idem ſecundocerius num. I. ducenarii, num. duo, id eſt, tertiocerius, & quartocerius: centenarii num. VI. epiſtolares num. IV. † Aurifices [19] ſpecierum perfectiſſ. num. I. ducenarii num. IV. centenarii num. VI. epiſtolares num. VIII. formæ primæ num. XVII. formæ ſecundæ num. IV. † Aurifices [20] ſolidorum ducenarii num. I. centenarii num. VIII. epiſtolares num. VI. formæ primæ num. IX. formæ ſecundæ num. XXX. † Sculptores, & cæteri aurifices centenarii num. I. epiſtolares num. V. formæ primæ num. VI. formæ ſecundæ num. XVII. † Scrinii auri [21] ad reſponſum perfectiſſ. ordinis primi num. I. perfectiſſ. ordinis ſecundi num. II. ducenarius num. I. centenarii num. II. epiſtolares num. III. formæ primæ, num. IV. formæ ſecundæ num. II. formæ tertiæ num. I.

† Scrinii a miliarenſibus [22] perfectiſſ. [23] ordo primi num. I. ducenarius num. I. formæ primæ num. I. formæ ſecundæ num. II. formæ tertiæ num. III. † Scrinii veſtis perfectiſſ. ordinis IV. num. I. perfectiſſ. ord. II. num. I. ducenarii num. I. centenarii num. I. epiſtolares num. II. formæ primæ num. VII. formæ ſecundæ num. X. formæ tertiæ num. IV. † Officialium ſacrarum veſtium ducenarii num. III. centenarii num. III. epiſtolares num. II. formæ primæ num. XII. formæ ſecundæ num. X. formæ tertiæ num. VIII. † Deputati ſacræ veſtis perfectiſſimi ſecundi ordinis num. II. ducenarii num. II. centenarii num. II. epiſtolares num. II. formæ primæ num. III. † Scrinii ab argento perfectiſſ. ordinis ſecundi num. I. epiſt. num. I. formæ primæ num. VI. formæ ſecundæ num. III. formæ tertiæ num. I. † Scrinii a pecuniis perfectiſſ. ord. ſecundi num. I. formæ primæ num. I. formæ ſecundæ num. II. formæ tertiæ num. V. † Argentarii comitatenſis [24] ducenarii num. I. centenarii num. II. epiſtolares num. III. formæ primæ num. VIII. formæ ſecundæ num. XXV. † Barbaricarii centenarii num. II. epiſtolares num. V. formæ primæ num. VIII. formæ ſecundæ num. I. Dat. 4. Id. Jun. *Heracliæ*, RICHOMERE, & CLEARCHO CONSS. 384.

De his, qui cingulo liberantur.

Palatini transmiſſi per provincias, anno elapſo cingulo liberantur. Bart.

8. Iidem AA. Trifolio C. S. L.

PLacuit [25] juſte [26] omnibus Mittendariis [27], & Palatinis Officiis profutura ſuggeſtio, quam [28] inſinuaſti, ut ex iisdem annis ſingulis [29] ex ducenariis terni, ex Centenariis habito proviſionis intuitu, cingulo liberentur. Dat. 4. Id. Mart. CP. ARCADIO, A. I. & BAUTONE V. C. CONSS. 385.

Ne quis militiæ cingulum ſumat ſine adnotatione Principis.

9. Impp. [30] THEOD. & ARCAD. AA. Neſtorio Com. R. P.

NOn [31] aliter quilibet officio ſacrarum largitionum, vel privatarum rerum cingulum militiæ ſibi ſumendum exiſtimet, niſi noſtræ manſuetudinis adnotationem meruerit. Dat. prid. Auguſt. *Ancyræ*, STILICHONE II. & ANTHEMIO CONSS. 405.

De tyronum collatione, & aliis oneribus.

10. Impp. HONOR. & THEOD. AA. Joanni P. P.

PAlatinos [32], qui ſacrarum [33] remunerationum rationem tractantes inculpantur, ad calcem terminumque militiæ pervenientes, necnon etiam Adjutores, & Primicerios diverſorum officiorum præcipimus [34] habere privilegia, quæ nuper agentium in rebus ſcholæ noſtra ſunt manſuetudine contributa: ſcilicet, ut a tyronum præbitione memorati reddantur exortes, cæteraque onera non agnoſcant. Dat. 7. Id. Jun. *Ravennæ*, poſt conſ. HONORII VIII. & THEODOSII V. AA. 411.

Ut primicerii officiorum, & ſcriniorum Palatinorum ſint annui.

11. Iidem AA. Anyſio C. S. L. & Tauro C. R. P.

AD [35] ſimilitudinem ſanctionis [36], quam de proximis ſacrorum promulgavimus ſcriniorum, etiam in officio ſacrarum largitionum, atque privatarum rerum pro biennio annum [37] ſub perpetua obſervatione præcipimus cuſtodiri: ita ut & privilegia, quæ hujusmodi officiis, vel primiceriis ſacris legibus deferuntur, integra, illibataque ſerventur. Dat. 3. Kal. Jul. CP. THEOD. A. VII. & PALLADIO CONSS. 416.

De foro competenti.

12. Imp. THEODOSIUS A. [38].

VIros devotos Palatinos non oportet in hac Regia Urbe apud Virum Illuſtrem Præfectum Urbi litigare compelli, niſi [39] de ædificatione [40] domorum, & ſervitutibus, & annonis orta videatur cauſa: in aliis vero cauſis tam pecuniariis, quam criminalibus apud [41] Viros Illuſtres tantummodo Comites ſuos reſpondere: Rectoribus [42] autem Provinciarum intra adminiſtrationis ſuæ fines inter præſentes palatinos, nec cauſis publicis occupatos cognoſcere, tam pro civili, quam pro criminali cauſa permittimus: ſic tamen, ut non aliter criminalis ſententia adverſus eos proferatur, niſi ex ſuggeſtione Provincialis judicii Vir Illuſtris Comes, ſub quo militat [43], certioratus hoc ei permiſerit.

De dignitate, & immunitate primiceriorum.

13. Iidem AA. Eudoxio C. S. L.

INter alias [44] prærogativas, quas antea meruerant ſcholæ [45] ſocietatis [46] ſacrarum largitionum, Primicerius, & tres [47] Primicerii ſcriniorum Tribuni Prætoriani, militari dignitate fruantur: nulla eis ex cujuslibet judicis præceptione injungenda publica, vel privata neceſſitate.

Ut Palatini rei privatæ iisdem privilegiis fruantur, quibus Palatini ſacrarum largitionum.

14. Iidem AA. Florentio P. P.

JUbemus Viros devotos Palatinos rei [48] noſtri Numinis privatæ [49], eisdem [50] privilegiis decorari, quibus etiam palatini, qui in ſacris largitionibus deferuntur. Cum enim par [51], ſimilisque militia ſit, juſtum, & competens videtur iisdem utrumque officium privilegiis gloriari. Primicerios itaque officii, tresque primates [52] ſcriniorum rerum privatarum, finito tempore militiæ, inter tribunos militares prætorianos, ſalvis iisdem præſtitis privilegiis ſacris conſtitutionibus noſtram clementiam adorare decernimus, ita tamen, ut [nullam injunctionem], nullam ſollicitudinem privati, vel publici negotii quolibet judiciario præcepto ſuſtinere poſſint: ſed excepta omni neceſſitate omnique fatigatione, indeptæ [53] dignitatis honore potiantur.

TIT. XXV.

DE STRATORIBUS [54].

1. Impp. VALENT. & VALENS AA. ad Zoſimum Præſidem novæ Epiri.

PEr omnes Provincias Edictum generale miſimus, ut ſtratoribus unus tantum ſolidus probæ [55] nomine poſceretur, & in offerendis equis [56] certam formam ſtatutam, & ætatem [57] Provinciales noſtri cuſtodiendam eſſe cognoſcant: quos etiam fiſco certo modo ſolidorum [58] obnoxios fecimus, ſi quod ſtratores petere interdictum eſt, illi dare ſtratoribus non timerent, officium quoque gravitatis tuæ centum argenti libris multabitur, ſi ſciens prædictam rem geſtam fuiſſe, non illico eam ſeveritati judiciariæ prodiderit. Dat. 13. Kal. Jul. *Apolloniæ*, VALENTINIANO & VALENTE AA. CONSS. 365.

1 l. 7. C. Theod. h. t. Goth. Scrinia ſacrarum largitionum hæc ſunt: Exceptorum, l. 5. ſupr. canonum, l. 10. ſupr. de murileg. Tabulariorum, l. ult. ſupr. de veſt. holob. numerorum ſive numerariorum, mittendariorum, aureæ maſſæ, auri ad reſponſum, a miliarenſibus, veſtiarii ſacri, ab argento, a pecuniis. Rerum autem privatarum ſcrinia quatuor ſunt beneficiorum, rationum, ſecuritatum, largitionum privatarum. l. ult. C. Theod. hoc tit. Mod. 2 l. 5. in fin. ſupr. h. t. 3 Valueris. 4 Al. officiorum. 5 Perfectiſſimi præfectus. 6 Numeri, al. muneris. 7 In quibusd. lib. quædam hic adduntur, omnis ſcholæ perfectiſſimus unusquisque primicerius: exceptorum numero unus. 8 Unusque. 9 Canonis, Hal. 10 Præfectus. 11 Quisque ducenarii. 12 Quinque, Hal. 13 Octo, Hal. 14 Octo, Hal. 15 Triginta tres, Hal. 16 Tabulariorum. al. maſſæ, Hal. 17 Al. præfectus. 18 l. 1. §. 8. circa finem, ʃ. de off. præf. 19 Al. Artifices, & ita, Hal. 20 Artifices, Hal. 21 Al. Scriniarii, ad reſponſum per formam primam numer. unus: per formam ſecundam num. duodecenarius &c. 22 Miliarenſes nummi decimam partem ſolidi faciebant. Suidas, Epiphanius & Cedrenus milliarenſes dictos putant, quaſi militares. Nummorum argenteorum, alii χαυκίοι, τετραγώνιοι, μηλωτοί, cavi, quadrati, rotundi, Novell. 105. cap. 2. §. 3. verſ. Et hoc enim. 23 Al. Scriniarii ad limitem. al. ad militem per formam, ſed recte hanc legem reſtituit Cujacius, qui ubi erat ſcriptum, per formam, emendavit perfectiſſimus, vel perfectiſſimi: ſic enim legitur in l. Aured. & Dionyſ. 24 Comitatenſes, Hal. 25 l. 8. l. 9. C. Th. h. t. 26 Al. ita in vet. quibus, juſta atque, additur. 27 Mittendariis Palatini officii. 28 Qua. 29 Annui ſinguli. 30 Al. Imppp. Theod. Arcad. & Honor. AAA. Neſtori Comiti Orientis. 31 l. 18. C. Theod. h. t. 32 l. 20. C. Theod. h. t. 33 De remunerationibus ſacris, adde quæ ſcripſi ad l. 2. J. de commeatu. h. lib. tit. 43. 34 Vide l. 1. ſupr. h. t. Goth. Palatini ſacrarum largitionum completa militia, & primicerii ſcriniorum, de quib. l. 7. ſupr. & adjutor officii palatini, qui ſcilicet matriculam tractat. l. 16. & 17. C. Theod. hoc tit. a tyronum collatione excuſantur. Quod & ſcholæ agentium in rebus datum ajunt, nec tamen eſt ſupra relatum. Verum de eo in C. Theod. eſt l. 13. de agent. in reb. & J. de privil. eor. qui in ſacr. pal. mil. l. 2. Mod. 35 l. 21. C. Th. h. t. l. 2. ʃ. de prox. ſacr. ſcrin. h. lib. tit. 19. 36 l. 6. ʃ. de prox. ſacror. ſcrin. h. lib. tit. 19. 37 Erant enim antea biennales primicerii ex l. 14. Cod. Theod. hoc tit. Mod. 38 Imperatores Theodoſius & Valentin. AA. Maximo C. S. L. 39 Forum palatini certis caſibus ſortiuntur apud Præfectum urbi. l. 3. ʃ. de epiſc. & cler. 40 Id eſt, novi operis nunciatione. l. 12. ʃ. de prox. ſacr. ſcr. h. lib. tit. 19. 41 Forum palatinorum ordinarium apud Comites ſacrarum largitionum. 42 In palatinos magiſtratus provincialis criminalem ſententiam dicere, non poteſt inconſultis Comitibus ſacrarum largitionum. 43 Militant. 44 De privilegiis ſcholæ theſaurorum. 45 Vid. l. 1. ſupr. h. t. 46 Sociati. 47 Plures ponit Marianus Schotus. & l. 7. ſupr. h. t. hoc eſt quatuor. Goth. Aut igitur deſierunt eſſe plures, aut ex pluribus, quinam hi tres ſint, divinare non poſſumus. Idemque de primiceriis ſcriniorum rerum privatarum dicendum, qui & primates dicuntur, l. ſeq. & primi ſcrinii a Mariano, quos fuiſſe quatuor oſtendit l. 7. At l. ſeq. tribus duntaxat eadem privilegia tribuit. Mod. 48 Nominis. 49 Privatæ res numinis imperatoris. 50 De privilegiis ſcholæ privatæ rei palatinorum. 51 Pares paria privilegia merentur. 52 Primates ſcriniorum iidem, qui & primicerii, primiſcrinii a Mariano. 53 Indepto.

54 Lib. 6. Cod. Theod. 31. in manuſcr. legitur, De ſtratoribus, ut & in Pandectis Flor. l. 4. ff. de offic. proconſ. Contius. Alciat. ſtatoribus mavult. Græci ita περὶ στρατώρων καὶ ἑτέρων τινῶν στρατευομένων Syn. Baſil. 6. tit. 33. Stratores autem vel ſtatores, officia præſidum, vel proconſulum. 55 Probæ, id eſt, probationis Cujac. al. proprio nomine. 56 Stratores equos militares probabant, qui a provincialibus conferebantur, ut hic, quod & confirmat Ammianus 29. 57 Et æqualem. 58 Certo ſolidorum modo. al. CVIII. ſolidorum modo.

TIT.